



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

CXI. Vtrum mutua sensibilis coniugum traditio, & acceptatio sint materia,
& forma huius sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

ueniens ex peccato originali. Vis enim concupiscentiæ, aucta per peccatum originale minuitur imprimis secundum se per augmentum gratiæ. Quo namque magis perficitur, & validitas præmunitur pars superior, eo pars inferior debilitatur magis, quoad impetus suos inordinatos. Deinde ratione eiusdem gratiæ actus coniugaliter exercetur cum debitis circumstantiis, & assequitur honestatem, qua careret non iuvante eatenus speciali gratia. Vnde ulterius fit, ut repetitis actibus coniugalibus non recrudescat magis vis concupiscentiæ, sed magis reprimatur, quoad motus, & actus, atque corruptelas illecebrosas, ac inhonestas. Quia ex actibus honestis, & convenienter circumstantionatis resultat habitus conferens facilitatem ad actus similes quoad substantiam, & modum ipsorum, & consequenter impediens actus oppositæ conditionis, atque inordinationis. Hæc de causa dicit Apostolus 1. ad Corinth. 7. 9. *Melius est nubere, quam uri*, intelligens nomine vitionis inhonestos concupiscentiæ actus, qui perducunt ad ignem æternum. Philosophus autem agit de augmento concupiscentiæ per operationem ipsius, quoad substantiam tantum, & præscindit à modo operis, quo gratia sacramentalis minime præscindit.

Ad 5. Eiusdem mali possunt plura esse remedia inuicem incompensabilia, & quorum aliud sit alio perfectius, ac efficacius. Eiusmodi autem remedia sunt respectu concupiscentiæ redundantis ex peccato originali, calibatus annexus ordinibus sacris, & matrimonium. Quia utrumque, licet diuersimodè adhibet aliquod remedium aduersus concupiscentiam. Sed quod adhibetur à calibatu est efficacius, & perfectius, quatenus impedit actus concupiscentiæ quoad substantiam, & modum; cum matrimonium solum inducat modum convenientem. Vnde sacramentum Ordinis est aliquatenus impossibile cum sacramento matrimonij, non præcisè quatenus utrumque est sacramentum, sed quatenus ordini est annexus de facto calibatus. In quo nullum est inconueniens, sicut neque in eo, quod quis voueat castitatem perfectam. Imò est maximè conueniens, ut sint diuersi status inuicem impossibiles, & inæqualis perfectionis, ordinati ad vitanda mala prouenientia ex peccato originali, ut suppetat remedium aliquod, licet minus perfectum, absolute tamen sufficiens, non audenti inire viam maioris, magisque arduæ perfectionis, nec satis benè disposito ex se, vel ex habitu, ut eam aggrediatur.

Ad 6. Non omnia sacramenta sunt eodem modo configuratiua suscipientis cum Christo, atque sacramentum matrimonij habet etiam peculiarem, sibi quæ proprium configurandi. Quia licet nullam in se contineat assimilationem cum Christo patiente, quoad poenalitatem passionis; continet tamen assimilationem quoad charitatem vnitivam Christi cum Ecclesia, ex qua charitate passus est, ut illam coniungeret sibi in sponsam; atque istam coniunctionem representat quasi in fieri contractus matrimonij, & sacramentum strictè sumptum realiter identificatum cum ipso; in facto verò esse vinculum matrimoniale, quod inde resultat, idque perfectius, cum consummatur matrimonium, quia tunc redditur magis insolubile; atque coniunctio Christi cum Ecclesia est penitus insolubilis. Quod additur de sordibus, & vi inquinatiua actus coniugaliter, non est verum; de sordibus, & iniquatione propria culpæ; quia est actus conformis naturæ, retinetque modum convenientem, quatenus debetur ex vi matrimonij. Continet nihilominus idem actus aliquid sordidi, & inquinamenti, quatenus pro tunc absorbet usum rationis, eumque suspendit omnino, propter exuberantiam libidinis, prouenientem ex peccato originali. Atque in hoc solum posteriori

sensu accipiendus est locus ille Apocalypsis, necnon, quæ Siricius interiecit de nuptiis, earumque usu secundum se. Nempè ex professo solum agit de nuptiis sacrilegis sacerdotum, quibus non conuenit ratio sacramenti.

Ad 7. Dictum iam est vinculum, & statum matrimonialem cum sua permanentia non habere rationem sacramenti propriè, & strictè talis, seu causatiui gratiæ, sed latè solum, & per solam significationem speculatiuam.

Q V Æ S T I O CXI.

Virum mutua sensibilis coniugum traditio, & acceptatio, sint materia, & forma huius sacramenti?

Videntur non esse. 1. Quia mutua traditio, & acceptatio coniugum sub utroque conceptu, habent solum rationem materiæ, solaque verba Sacerdotis, aduentis subinde; *Ego vos coniungo, &c.* habent rationem formæ eodem modo, quo in sacramento poenitentiae habent rationem formæ verba illa: *Ego te absoluo*. Nempè utrobique verba sacerdotis vltimò complent opus; ad quod diriguntur, idque est proprium formæ, uti concludit Melchior Canus.

2. In aliis contractibus id solum habet rationem materiæ, quod traditur, & acceptatur à contrahentibus, ut domus, ager, gemma; rationem verò formæ habent actus tradendi, & acceptandi, quatenus exterius manifestati. Similiter ergo in contractu, & sacramento matrimonij; corpora contrahentium, quæ inuicem traduntur, & acceptantur, habent rationem materiæ; rationem verò formæ voluntas tradendi, & acceptandi simul cum traditione, & acceptance exteriori, ac sensibili. Confirmatur, quia in sacramento Ordinis instrumenta, quæ traduntur ordinando habent rationem materiæ; verba verò, quibus significatur ea traditio, habent rationem solius formæ, ut superius dictum est. Ergo etiam in matrimonio corpora, quæ traduntur, sunt tota materia, & verba, quibus significatur traditio, & acceptatio, sunt tota, & sola forma.

3. Matrimonialis traditio, & acceptatio fit regulariter per sola verba, ut dicit Conc. Florent. in decreto Eugenij. §. *septimum est*. Idem autem Concilium distinguunt vniuersaliter materiam omnium sacramentorum à verbis, cum definit vniuersaliter sacramenta perfici rebus, ut materia; & verbis, ut forma. Ergo sensibilis traditio, & acceptatio non habent rationem materiæ, & formæ simul, sed rationem formæ tantum, siquidem utraque constat solis verbis, saltem regulariter.

4. Id habet rationem formæ in vnoquoque sacramento, quod vltimò complet, ac determinat significationem sacramentalem. Quod verò est magis indifferens ex se respectu eiusdem significationis, habet rationem materiæ. Eiusmodi autem maior indifferentia conuenit consensui interno contrahentium; totamque vim vltimò complendi, ac determinandi significationem obtinent traditio, & acceptatio exterior. Ergo materia huius sacramenti sunt interni contrahentium consensus; forma verò traditio, & acceptatio exterior, ut contendit Martinon post Rebelleum, & Couarruiam, aliosque Iuristas. Confirmatur, quia in Sacramento Poenitentiae eadem ratione actus interni poenitentis habent rationem materiæ, & verba Sacerdotis rationem formæ.

5. Sicut acceptatio potest subsequi traditionem, eamque vltimò complere, ac determinare in ordine ad finem intentum; ita traditio potest vicissim subsequi ad acceptance, eamque similiter vltimò complere;

complevere, ac determinare. Ergo neutra potius, quam altera habet determinatam rationem materiae, vel formae. Oportet autem assignare in vnoquoque sacramento aliquid, quod ex sua natura, & non per accidens sit materia, & aliquid aliud, quod similiter sit forma. Quia ratione communiter reprobatur opinio Richardi, dicentis, materiam huius sacramenti esse verba, seu signa illa consensus interni, quae prius exhibentur, & formam, quae exhibetur posterius, seu tempore, seu natura. Igitur materia & forma huius sacramenti non possunt esse traditio, & acceptatio exterior.

Artic. 1. Respondetur. Materia, & forma dicuntur in sacramentis per quandam assimilationem inaequatam, & imperfectam cum materia, & forma constituentibus compositum naturale. Cum quibus nimirum ita quoad aliqua conveniunt, ut simul differant ab eisdem quoad plura alia. Differunt autem praecipue in aliis quidem sacramentis, quoad modum unionis; in hoc vero matrimonio sacramento quoad modum distinctionis. In composito namque naturali, materia, & forma, distinguuntur inter se realiter, simulque ununtur mutuo unione propria tali, faciente unum per se. At in reliquis sacramentis praeter matrimonium, unio materiae, & formae est solum moralis, nec facit unum per se proprie tale, sed unum tantum moraliter; ita ut partes componentes distent inuicem semper quoad locum, & saepe etiam quoad tempus, pro quo vnaquaeque pars existit re ipsa. In sacramento vero matrimonij deficit distinctio realis materiae, & formae re ipsa, solumque admitti potest distinctio moraliter seu aequivalenter talis. Sicut nimirum de unione dictum est pro reliquis sacramentis.

Artic. 2. Ratio est. Quia inter ea, quae regulariter interveniunt in isto contractu, & sacramento, solis verbis convenit ratio signi sensibilis practice respectu effectus, qui resultat ex eodem contractu, & sacramento. Sola namque verba, & quod irregulariter illis substituitur, existunt significandi gratia, ponunturque a parte rei, vel vnice, vel certe principaliter, ut significant, cum caetera omnia sint ex se prorsus indifferentia, ut detur, vel non detur significatio talis effectus, imò etiam ut detur significatio oppositi, ut patebit clare eunti per singula. Solus consensus, atque voluntas contrahendi habet ex se maiorem determinationem, ut detur, vel non detur praedicta significatio. Verum consensus internus, non habet rationem materiae, saltem ex se solo, & independentem ab aliquo praeterea alio, cui ratione sui immediate conveniat esse materiam sacramenti. Quia sacramentum ex suo conceptu est signum sensibile, ut dictum est supra in communi. Materia autem, & forma signi sensibilis, debent esse sensibiles, non solum altera per alteram, sed utralibet per se ipsam, saltem inaequatè. Quia totum, cuius altera pars est adaequatè insensibilis ratione sui, atque altera sola est sensibilis per se, non potest dici sensibile potius, quam insensibile. Quia de causa in omnibus aliis sacramentis datur semper aliquid, quod habet rationem materiae sensibilis per se, & cuius tota sensibilitas non sit penes formam solam.

Artic. 3. Accedit Concilium Florentinum in deo. Eugenij 8. Quinto Ecclesiasticorum manifestè supponere distinctionem totalem materiae, & formae sacramentorum, ab interna ministri intentione, dum enumeratis omnibus sacramentis, definit; *tribus ea perfici, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* In quibus apparet non nisi per absurdum intelligi, ac comprehendendi posse sub nomine rerum, quae ponuntur primo loco,

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

intentionem, quae postremo superadditur: praeterquam quod, quando in eo contextu ponuntur res, & actus intentionales, semper res sumuntur, ut contra distinctae saltem inaequatè ab actibus intentionalibus. Intentio autem perficiendi sacramentum matrimonij potest esse indistincta à consensu matrimoniali, & plerumque est indistincta, sponis volentibus indiuissim contrahere iuxta institutionem Christi, seu ut solent contrahere Christiani, seu faciendo, quod facit Ecclesia, vel alio simili modo. Ergo consensus internus contrahentium non est materia huius sacramenti, saltem se solo. Iam quod dicit Martinon, intentionem perficiendi hoc sacramentum indistinctum realiter à consensu matrimoniali non sufficere perficiendo sacramento, quia intentio perfectiva sacramenti debet praecedere naturam, & causalitate exhibitione materiae & formae, atque vsum rerum, quibus constat sacramentum. Hoc inquam videtur dictum praecise ad tuendum positum, diciturque praedare, quia dicitur contra communem sensum. Certè ratio, qua vitur, est insufficiens. Quia intentio ministri non debet praecedere, & inducere causalitate sua omnia, quae utcumque pertinent ad constitutionem intrinsecam sacramenti. Alioquin deberet se quoque ipsam, necnon institutionem Divinam praecedere, & inducere, cum utraque pertineat ad constitutionem intrinsecam cuiusque sacramenti, ut dictum est supra in communi quaest. 6. & similiter intentio sacerdotis deberet praecedere, ac inducere vi sua actus poenitentiae, quae sunt impossibilia & absurda. Itaque de conceptu intentionis Ministri solum, ut praecedat, & inducat vi sua executionem exteriorem sacramentalem, quae pertinet ad eundem ministrum. Pater igitur consensum internum non esse materiam huius sacramenti. Multò verò minus dici potest eiusdem forma. Quia forma sacramenti dicitur, quod habet praecipuam vim significandi. Verba autem sunt, quae praecipue, maximeque significant in omnibus sacramentis, cum obtineat Principatum inter signa, ut dictum est supra ex Augustino; cum consensus internus indigeat alio signo sui, ut innotescat.

Artic. 4. Dicendum igitur est, materiam, & formam huius sacramenti constitui per verba quibus manifestatur consensus internus contrahentium, ita ut habeant rationem materiae, quatenus sunt traditio vniuscuiusque contrahentis, respectu alterius; rationem verò formae, quatenus sunt acceptatio mutua eius traditionis. Quae est sententia Suarez, Sanchez, Card. de Lugo, & aliorum. Fundamentum huius sententiae, & distinctionis, atque accommodationis est iam nuper praedictum, exponiturque, & confirmatur ulterius. Quia imprimis verba utriusque contrahentis continent in se adaequatè vim significandi totum effectum huius sacramenti. Significant enim directe, & explicitè vinculum mutui iuris, mutuaeque conjunctionis, quod inde resultat, ac proinde significant etiam mediata, & indirectè effectum gratiae, necessariae ad actus proprios vinculi praedicti, atque iuris, & conjunctionis. Imò significant eo ipso directe etiam, & immediate, eundem effectum gratiae, significatione symbolica, & analogica; ad eum utique modum, quo verba baptismalia significando significatione naturali absolutionem corporalem, significant eo ipso significatione symbolica, & analogica, & ex institutione supernaturali Dei, effectum gratiae spiritualiter abluentis. Nihil igitur desiderari potest pro adaequata, & completa significatione totius effectus, quem confert sacramentum matrimonij, ultra significationem verborum, quibus ipsum perficitur; ac per consequens nihil desiderari potest ultra eadem verba pro constitutione materiae, & formae

Y y 2 eiusdem

eiusdem sacramenti; ut potè requisitarum ad conceptum sacramenti, & pertinentium ad constitutionem eius, præcisè ratione significationis practicæ respectu effectus inducendi per sacramentum.

Artic. 5. Deinde verba matrimonialia quoad conceptum mutuae traditionis habent virtualiter, & æquivalenter maiorem quandam indifferentiam, ac indeterminationem, quam quoad conceptum acceptationis mutuae. Quia quando traditio distinguitur realiter ab acceptatione, illa est natura prior, quam ista, atque translatio rei ab uno in alium incipit per traditionem, completurque ultimò, atque determinatur per acceptationem. Nempe actio tradendi est propria eius apud quem, & sub cuius dominio erat ante translationem; acceptatio verò est propria eius, ad quem res eadem transit de novo. Manifestum autem est priorem esse ex natura rei dispositionem personae præhabentis rem sub suo dominio, quam dispositionem personae, quæ nondum intelligitur eandem rem habere sub suo dominio, atque non Dominum subordinari Domino rei, quo ad actus disponentes de eadem. Ergò quando traditio, & acceptatio sunt essentialiter reciproca, & sicut utrinque indivisim per eadem verba, aut actiones alias, verbis æquivalentes, ratio traditionis est virtualiter, & æquivalenter prior, magisque indifferens, quam ratio acceptationis. Quia prædicata realiter inter se identificata, & æquivalentia prædicatis, seu rebus aliis similibus, realiter inter se distinctis, servant inter se eundem proportionaliter ordinem rationis, qui realiter convenit iisdem rebus realiter inter se distinctis, ut traditur in Logica ex professo, & obiter expositum à me fuit quæst. 5. ab artic. 2. de Deo. Itaque verba matrimonialia quatenus sunt mutuae coniugum traditiones, sunt virtualiter, & æquivalenter priora, magisque indifferencia, quam quatenus sunt acceptationes mutuae; idemque dicitur de quibuscumque aliis actionibus, & signis quibus perficitur contractus, & sacramentum matrimonij, quando verba deficiunt. Dictum autem est supra in communi, quæst. 3. ad 4. ex prædicatis constitutionibus unumquodque sacramentum, illud vocari, & esse materiam, quòd est magis indifferens, ac indeterminatum; formam verò, quòd est magis determinatum, ideòque est ultimò completivum significationis. Rectè igitur dictum est operationes coniugum, quibus ius sibi inuicem conferunt, & acquirunt unusquisque sui, & respectu alterius, esse materiam proximam, & formam huius sacramenti, atque iisdem operationibus, quatenus sunt mutuae traditiones convenire rationem materiæ, & quatenus sunt acceptationes mutuae, rationem formæ. Pro clariori horum intelligentia, & faciliiori assensu oportuerit considerare, quæ dicta sunt in illa quæst.

Ad 1. Constat ex Concil. Trid. in decr. de reformat. matrim. initio, matrimonia clandestina rata olim, & vera fuisse. Rursus licet ea matrimonia clandestina sint iam nulla, ubi receptum est idem Concilium; non tamen sunt nulla, quæ contrahuntur præsentente Parocho, & duobus, vel tribus testibus, tametsi, desit benedictio Parochi, & formula verborum benedictionis, ut patet ex eodem illo capite ad medium. Ibi enim solum irritantur matrimonia contracta absque prædicta Parochi, vel alterius sacerdotis legitime subrogati, & testium præsentia; non verò, quæ contrahuntur absque benedictione sacerdotali. Nullius igitur probabilitatis est sententia illa Cui, dicentis, formulam verborum, quibus benedictio sacerdotalis continetur esse formam huius sacramenti. Manifestum siquidem est, nullum sacramentum validum esse posse, aut esse unquam potuisse, deficiente eius forma. Unde prædicta formula tantum est sacramentale quoddam eiusdem utilitatis, & congruitatis,

cuius sunt alia sacramentalia iuxta dicta quæst. 36. & 91. atque alibi sparsim.

Ad 2. Multa sunt, quæ efficaciter ostendunt corpora contrahentium matrimonium non esse materiam proximam, sed tantum remotam huius sacramenti, sicut aqua respectu baptismi, peccata respectu penitentiae, & sic de similibus. Sed duplici de causa præcipue reiicienda est ea sententia. Primum enim contractus, ut sic, & in genere definitur *utroque*, *utroque obligatio* ex 6. *Labeo*, ff. de verb. signif. Patet autem obligationem distingui adæquatè à re circa quam versatur, eique superaddi extrinsecè, & accidentaliter, ne dicatur rem ipsam esse saltem partialiter obligationem dandi eam, vel relinquendi alicui. Quod est absurdum. Ergò neque in contractu matrimonij corpora contrahentium sunt pars, & materia intrinsecè constituens ipsum contractum. Deinde ea sententia, ut distinguat realiter inter se materiam, & formam huius sacramenti, identificat realiter materiam eandem cum ministro, siquidem ipsi contrahentes sunt ministri huius sacramenti, qui certè non distinguuntur realiter à suis corporibus. Et tamen Florentinum personam ministri distinguit multo clarius à materia eius, & forma, quam utramque inter se. Dum enim dicit ministrum conferre sacramentum, clarius distinguit, & multo magis sacramentum quod confertur, à persona ministri, qui illud confert, quam materiam à forma, dum illam nomine rerum, & istam nomine verborum significat. Incidit ergò ea sententia in inconueniens manifestum, certè maius, ut vitet inconueniens, quod re ipsa tale non est, certè est minus manifestum, tale esse. Quod additur in confirmatione, contradicit potius scopo eius. Quia instrumenta sacra, quæ traduntur, non sunt materia proxima sacramenti ordinis, sed eorum traditio, ut dicit Concilium Florentinum, & ex eodem dictum est supra quæst. 104. Ergò similiter in præsentem dicendum est, traditionem corporum, & non ipsa corpora esse materiam proximam, seu intrinsecè constitutivam sacramenti matrimonij.

Ad 3. In compositione totius, quod non physicè, sed moraliter tantum tale est, non debent accipi in sensu rigoroso, & metaphysico voces, quibus exprimiuntur eius partes: sufficit enim, quod verificentur moraliter per aliquam non incongruam æquivalentiam rationem. Quæ de causa in sacramento Confessionis, ex confessione omnium, nomine rei, & materiæ intelliguntur præcipue verba penitentis, quibus is exponit sua peccata, quæque exhibentur loco peccatorum. Hoc autem pacto verba etiam coniugum, quatenus sunt traditiones ipsorum mutuae, non incongruè intelliguntur nomine rei, & materiæ, quatenus traditiones rerum plerumque sunt, non per verba, sed per actiones alias physicas translationis rei de loco in locum, & de manu in manum; atque voces accommodantur obiectis, iuxta plerumque contingentia, eademque retinentur etiam, cum sermo est de re particulari, quæ secus habet. Simili ratione eadem contrahentium verba specialiter subintelliguntur sub conceptu verborum, quatenus sunt acceptationes, quia acceptatio plerumque fit per verba.

Ad 4. Sufficenter innotuit supra consensus inter nos contrahentium, non posse habere rationem materiæ huius sacramenti saltem adæquatè. Id verò præcipue observandum est aduersus sententias de constitutione materiæ huius sacramenti, tum per consensum internum, tum per corpora contrahentium. Nempe materias sacramentorum sicut, & formas debere esse sensibiliter significativas effectus, qui est proprius cuiusque sacramenti, ut liquet ex dictis in communi quæst. 1. & alibi sæpius; consensui autem contrahentium

contrahentium secundum se, præcisè, nulla conuenit significatio sensibilis, cum consensus ipse secundum se præcisè, sit insensibilis, vtpotè internus, ac spiritalis. Corpora verò, licet sint sensibilia sunt nihilominus prorsus indifferentia secundum se præcisè, vt subsint, vel non subsint iuri alterius, & vinculo matrimoniali, ac proinde non magis significant ex se præcisè hunc effectum, quam priuationem eius, cum tamen sit de ratione signi, tum totalis, tum etiam partialis, vt non sit æquè indifferens ad constituendam significationem, & priuationem significationis. Quapropter, licet admitteretur in aliis contractibus habere rationem materiæ proximæ consensus contrahentium, aut res, circa quas contrahitur; admittendum nihilominus nequaquam esset in contractu matrimonij, quatenus sacramentum est formaliter, iisdem conuenire rationem materiæ constituentis intrinsecè significationem sacramentalem, & symbolicam, ac practicam. Vnde in obiectione committitur falsa suppositio, dum affirmatur in consensu interno maior indifferentia, quam in verbis, quoad significationem effectus sacramentalis. Quia consensui interno non conuenit propriè maior quoad id indifferentia, sed conuenit totalis defectus talis significationis, vt dictum est. Quod additur in confirmatione de sacramento Pœnitentiæ, est abs re. Quia actus interni pœnitentis, non sunt materiæ eius sacramenti secundum se præcisè considerati, sed prout coniuncti cum signis eorum externis, complementibus, & constituentibus intrinsecè rationem materiæ, vt dictum est in loco. Cuiusmodi nihil vult agnoscere author obiectionis in verbis, seu externis aliis signis matrimonialibus. Videre quamplura latissimè licet, si placet circa istud, & præcedens argumentum apud Dicastillo, quæ tamen missa facio, quia pleraque sunt ad hominem aduersus Cardinalem de Lugo, & nonnullos alios, nec me tangunt vlla ex parte pauca verò alia, quæ tangunt, præoccupata iam sunt. Ad 5. Liqueat satis ex dictis supra art. 5.

QÆSTIO CXII.

Vtrum Minister, & subiectum huius sacramenti, sint vir, & femina baptizati, & compotes rationis?

Videntur non esse. 1. Quia iisdem verbis, & cum eadem intentione possunt contrahere infideles, atque fideles, seu non baptizati, & baptizati. Ergo vtrilibet possunt perinde perficere, non minus sacramentum, quam contractum matrimonij. Repugnat siquidem effectus euadere diuersos agentibus eadem omnia præstantibus actione sua.

2. Si fieri posset, vt deficeret ratio sacramenti præcisè propter defectum characteris baptismalis in contrahentibus, character ipse baptismalis constitueret intrinsecè sacramentum matrimonij. Quia id, quo deficiente, & existentibus omnibus aliis, ita deest aliquod potum, vt idem totum existat eodem illo existente, & superaddito, cæteris requisitis; eo ipso pertinet ad constitutionem intrinsecam totius, vt dictum est supra in communi quæst. 6. Sequela autem videtur absurda, & præter opinionem communem.

3. Matrimonium fidelis cum infideli habet rationem sacramenti respectu fidelis. Quia qui fidelis est, eo ipso est capax perficiendi, recipiendique huius sacramenti. Qui verò est infidelis, licet non sit idoneus ad recipiendum idem sacramentum, est tamen

R.P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

idoneus ad illud perficiendum. Nulla namque apparet ratio, ob quam sacramentum Baptismi, possit perfici validè ab infideli, & non possit etiam perfici sacramentum matrimonij, præsertim cum hoc sacramentum recedat minus à iure naturali, minusque supra ipsum eleuetur, quam reliqua sacramenta. Dictum enim est supra in communi quæst. 35. Sacramentum matrimonij esse minimæ perfectionis inter omnia sacramenta. Non igitur necesse est vtrumque contrahentem esse baptizatum.

4. Maius, ac indissolubilius est ligamen baptizati cum Ecclesia, quam inter sponsum, & sponsam, atque baptismus ordinatur ad operationes magis arduas, ac difficiles, quam matrimonium. Ergo siquidem ligamen, & onus baptismale induci in paruum, eidemque imponi potest aliena voluntate; potest etiam eadem induci, ac imponi ligamen, & onus matrimoniale. Ergo eadem ratione, qua Baptismus potest validè conferri subiecto experti rationis, potest eadem conferri eidem sacramentum matrimonij. Non ergo requiritur vsus rationis pro susceptione valida huius sacramenti.

5. Qui est capax, effectus alicuius sacramenti est etiam capax ipsius sacramenti. Effectus autem sacramenti matrimonij potest diuina saltem potentia, & voluntate communicari personis, nec baptizatis, nec vteribus ratione, tam quoad ius, & vinculum mutuum, quam quoad gratiam. Ergo iidem possunt validè suscipere sacramentum matrimonij.

6. Contractus matrimonij celebrati inter infideles consequitur rationem sacramenti, cum primum postea baptizantur, & eo ipso præcisè, quod baptizantur, vt tradunt Sanchez, & alij. Et tamen non eo ipso exercent actionem vllam ministratiam, & perfectiuiam sacramenti matrimonij. Ergo non est de conceptu ministri perficientis hoc sacramentum, vt sit baptizatus.

7. Ad valorem huius sacramenti requiruntur ex parte perficientium, & suscipientium plura alia præter baptismum, & vsus rationis, vt patet ex multis iuribus. Ergo non omnes baptizati, simulque compotes rationis sunt ministri, & subiectum capax huius sacramenti.

Artic. 1. Respondetur. Hoc inter alia differt sacramentum matrimonij à reliquis sacramentis, quod minister ipsum perficiens adæquatè sumptus, non distinguitur realiter à subiecto recipiente effectum eiusdem sacramenti, ipsumque sacramentum. Ratio est, quia istud sacramentum includit in suo conceptu contractum matrimoniale, eique superaddit. Personæ autem matrimonialiter contrahentes, simul sunt causa efficiens contractus, & subiectum recipiens effectum eiusdem contractus. Vnde iidem habent rationem ministri perficientis sacramentum matrimonij, simulque subiecti recipientis effectum eius, ipsumque sacramentum. Quia verò contractus matrimonij ex suo conceptu postulat, vt alter ex contrahentibus sit vir, & altera femina, concluditur minister, & subiectum adæquatum huius sacramenti, esse virum, & feminam. Rursus, quia contractus matrimonialis, licet fiat à duabus personis, atque effectus eius in eisdem recipiatur, est nihilominus vnus respectu vniuscuiusque binarij contrahentium mutuo; concluditur similiter sacramentum matrimonij, esse vnum tantum respectu eiusdem binarij.

Artic. 2. In prædictis duabus personis perficientibus, & recipientibus hoc sacramentum, duo principaliter requiruntur ad valorem ipsius, alterum ex conceptu sacramenti, alterum ex conceptu, tum sacramenti, tum etiam contractus. Ex conceptu sacramenti requiritur, vt vterque contrahens sit baptizatus. Dictum enim est supra, baptismum esse ianuam sacramentorum,

Y y 3